

et VLRICVM HVBERVM <sup>f</sup>). Horum sententiam firmare videtur, quod in libris nostris nusquam occurrat mentio facta rei immobilis sequestratae, quin potius diferte interdum dicantur res mobiles sequestrari, rerum immobilium vero fructus tantum <sup>g</sup>), sicuti et alias in sequestratione fit mentio rei mobilis <sup>h</sup>). Sed ex eo, quod rerum immobilium sequestrationis exemplum non inueniatur in libris nostris, non confici, plane nullam earum fieri posse sequestrationem, monuit dudum contra HVBERVM THOMASIVS <sup>i</sup>). Imperatores autem inter res mobiles et immobiles ideo videntur distinxisse <sup>l</sup>), quia in specie ibi proposita non opus erat, ut ipsius fundi sequestratio fieret, sed sufficiebat, fructus tantum sequestrari. Quare nec hoc valet ad conficiendum id, quod volunt. VLPIANVS autem quum dicit, rem mobilem sequestrari deberi, si satisdatum pro ea non sit, et persona suspecta sit, ex qua satis desideretur, donec vel satisfactio detur, vel lis finem adcipiat, non negat omnino fieri posse, ut res immobiles sequestrantur, sed ex eo, quod addit: *pro re mobili*, nihil aliud inferri poterit, quam ex

haec

f) loco, quem nominauimus, cui add. *Praelect. ad Dig. Tit. Depositi §. 1. in fine et §. 4. n. 1.*

g) *c. ab exsequutione 5. C. quorum appellat. non recip.*

h) *c. si fideiussor 7. §. vlt. D. qui satisfacere cog.*

i) in nov. addit. contra HVB. quae adiectae sunt *Praelect. ad Dig. loco, quem dixi.* Neque satis scio, ut <sup>l</sup>) loco, quem indicauimus sub *lit. g.*

hoc addam, quare HVBERVS in *Praelect. ad Instit.* quum neget, sequestrationem dici, si res immobiles tertio committantur, prouocet ad *c. si quum dotem 22. §. sin autem 8. D. soluto matrim.* Nam ibi nec rei immobilis fit mentio, sed de dote in genere sermo est, nec ibi dicitur locatio iudicis officio facta, sed dos dicitur sequestrari.

locum, quem indicauimus sub *lit. g.*